CANDIDO LECTORI.

EXhibemus tibi candide Lector, nouum Geographiæ noſtræ tomum, in quo Italiam, Sclauoniam, & Græcas Europæ regiones complexi ſumus, olim ſub regimine Imperatorum Romanorum iunctim gubernatas, & ordine, quem Ptolemeus ſeruare iubet, ab occidente videlicet in orientem, & à ſeptentrione in meridiem conſequentes, ita vt nihil medium intermittatur, quo & omnes mundi regiones tandem proferamus, & quàm pauciſſima ſemel deſcripta repetantur, ne grauetur emptor tabularum multitudine ſuperflua. Tam diligenter etiam ad veritatem omnia redegi, vt mutationem quæ ſumptuoſa eſſet emptori, metuere non debeat, ideoque ſemel tantum totum opus, & quàm caſtigatiſſimè deſcribere & abſoluere ſtatutum fuit, tum in editis, tum in edendis tomis, ne & mihi negotium maius faceſſam, & emptores grauiores ſumptus facere cogam. Bene vale. Duysburgi 13. Martij, Anno 1589.

ITALIA,

IN QVA HÆ CONTINENTVR *REGIONES,*

Lombardia.
Venetia Ducatus.
Liguria, Genuæ Duc.
Friuli Duc.
Iſtria.
Romandiola Comitatus.
Thuſcia Ducatus.
Spoletanus Ducatus.
Anconitana Marchia,
Latium nunc Campagna di Roma.
Abruzzo, Aprutium, Samnites.
Terra di Lauaro, Campagna felice, Principatus.
Apulia Daunia plana, Regnum.
Lucania, Baſilicata, Princip.
Terra di Barri, Apulia Peucetia.
Terra di Otranto, Regnum.
Calabria ſuperior Regnum,
Magna Græcia.
Brutij, Calabria inferior.

Regnum Neapolitanum magnam harum regionum partem complectitur.

Quia pauciſſimi Comitatus & Dominia mihi per Italiam & Græciam innotuerunt, & eorum pleraque nomina ac loca in tabulis aſsignari nequeunt ob tabularum quæ extant imperfectionem, ideo paucis exceptis hoc labore ſuperſedebo. Quilibet ſtudioſus quoſcunque inuenerit annotare facile poterit. Pulcherrima eſſet in politicis ſpeculatio, ſi omnium regnorum nobilitas, & officia ſingulorum, locaq́, dominiorum nota eſſent. Quiſq́ in ſua hoc præſtans patria laudem merebitur.

Medius meridianus 36. 0. ad quem reliqui inclinantur diſtantes pro ratione parallelorum 40. 0. & 44. 0.

I.